



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Capvt IX. Congregatio Lateranensis Canonicorum Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11321

mini 1300. exclusis è monasterio Canonicis regularibus, posuit in eo Canonicos seculares. Ita Onufrius.

CAPVT IX.

CONGREGATIO LATERANENSIS
Canonicorum Regularium.

CANONICI Regulares ordinis S. Augustini, dicti Lateranenses, ab Apostolis primum (vt narrant historiæ) traxerunt originem, sed postmodum à B. Augustino, fuit ista Congregatio regulariter ordinata: cum quibus Canonicis, factus ipse presbyter, à Valerio Episcopo, secundum regulam ab Apostolis traditam aliquamdiu vixit. Qui cum, post multa temporum spatia, varias à laudabilibus viris Reformationes accepissent, secundumque illas varia sortiti essent nomina; inter alias prima fuit ista Congregatio Lateranensis. Quæ tandem fuit reformata in templo S. Mariæ Frigionariæ, propè Lucam Etruriæ urbem, anno millesimo quadringentesimo septimo, à quodam clerico nobilissimo Romano, nomine *Bartholomæo*, illustrissimæ familiæ Columnæ, eiusque socio *Iacobo* de Anogradis, V. I. Doctore excellentissimo. Olim, idque per octingentos ferè annos, vsque ad Bonifacium VIII. sedem habuerunt in basilica Lateranensi, à Gelasio I.

ibidem collocati. Ex qua basilica licet postea pluries fuerint eiekti, atque iterum regressi; tandem sub Sixto IV. Summo Põtifice, illius possessionem prorsus amiserunt: non tamen titulum & priuilegia, quę idem Pontifex ipsis concessit, vnà cum monasterio *S. Mariae Paris*, in quo etiamnum Romę sedem ac domicilium habent.

CAPVT X.

AROASIENSIS CONGREGATIO
*Canonicorum Regularium, per Belgium
 & Franciam.*

ANNO 1097. duo pij sacerdotes Conon & Heldemarus Aroasiam monasteriũ fundarunt, quod hodie visitur secũdo ferè lapide à Bapalma Artesiæ opido versus fines regni Galliæ. Quo factum vt bellis inter Gallos & Belgas sæuientibus non semel fuerit destructum.

In hac Abbatia tanta fuit olim regularis disciplinæ Obseruantia, vt illius regimini, quamplurima sese Monasteria olim submiserint & amplissimæ Cõgregationis, inde Aroasiensis dictæ, caput olim exstiterit.

Catalogum porrò monasteriorũ, quæ Aroasiensi Congregationi paullatim accesserunt, hunc nobis R. P. Franciscus Barrius, Prior Aquicinctinus transmisit.

NOMI-